

**Propositiones aliquot ad homoeopathiam confirmandam aptae : thesis  
quam ad obtainendum exercendi in hoc imperio medicinam jus,  
saluberrimae Fluminis Januarii Facultati / Benedictus Mure.**

### **Contributors**

Mure, Benoît, 1809-1858.  
Faculdade de Medicina do Rio de Janeiro.  
National Library of Medicine (U.S.)

### **Publication/Creation**

Flumine Januario : Ex Imp. et Const. Officina Typographica J. Villeneuve et  
Sociorum, 1843.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/zxuuw9jw>

### **License and attribution**

This material has been provided by the National Library of Medicine (U.S.), through the Medical Heritage Library. The original may be consulted at the National Library of Medicine (U.S.) where the originals may be consulted.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

**PROPOSITIONES ALIQUOT  
AD  
HOMOEOPATHIAM CONFIRMANDAM  
APTÆ.**

---

**THESES**  
QUAM AD  
**OBTINENDUM EXERCENDI IN HOC IMPERIO MEDICINAM JUS,**  
SALUBERRIMÆ FLUMINIS JANUARII FACULTATI,  
DOCTOR BENEDICTUS MURE,  
LUGDUNI GALLIARUM NATUS OBTULIT  
ET PRO QUA  
QUINTO KALEND. OCTOBRIS A. D. MILLESIMO OCTINGENTESIMO  
QUADRAGESIMO TERTIO

**PROPOGNAVIT.**

Δια τὰ ὄμοια νοῦσος γίνεται, καὶ διὰ τὰ  
ὄμοια προσφερομένα ἐκ νοσουτῶν ὑγιαίνουνται  
..... διὰ τὸ ερέειν ἔπειτος πάνεται.

Ιπποκράτης  
περὶ τοπῶν τῶν κατ' αὐθρωπῶν.



**FLUMINE JANUARIO.**

EX IMP. ET CONST. OFFICINA TYPOGRAPHICA J. VILLENEUVE ET SOCIORUM,  
MDCCXLIII.

# FLUMINENSIS MEDICINÆ FACULTAS.

## RECTOR.

DOMINUS JOSEPHUS MARTINS DA CRUZ JOBIM.

## DOMINI PROFESSORES.

### PRIMO ANNO.

F. DE P. CANDIDO.....	Physices Medicæ.
F. F. ALLEMAO .....	Botani es Medicæ et Zoologiae elementorum.

### SECUNDO ANNO.

J. V. TORRES HOMEM. <i>Præses</i> .....	Chymices Medicæ et Mineralogiae elementorum.
J. M. N. GARCIA .....	Generalis et specialis Anatomicæ.

### TERTIO ANNO.

J. M. N. GARCIA.....	General s et specialis Anatomices.
L. DE A. PEREIRA DA GUNHA .....	Physiologiae.

### QUARTO ANNO.

L. F. FERREIRA, <i>Impugnator</i> .....	Pathologiae externæ.
J. J. DA SILVA .....	Pathologiae internæ.
J. J. DE CARVALHO .....	{ Pharmaceutices, Materiæ Medicæ, especiatim brailiensis, Therapeutices et artis formulas componendi.
	{ Operationum, Anatomices topographicæ et apparatus.

### QUINTO ANNO.

C. B. MONTEIRO.....	{ Partnum, morborum mulierum prægnantium effeta unque et recens natorum.
F. J. XAVIER .....	

### SEXTO ANNO.

T. G. DOS SANTOS.....	Hygienes et Historiæ Medicinæ.
J. M. DA C. JOBIM.....	Medicinæ legalis.

M. F. P. DE CARVALHO.....	{ Clinices externæ et Anat. Patholog. ad illam pertinentis.
M. DE VALLADÃO PIMENTEL, <i>Impugnator</i> .	{ Clinices internæ et Anat. Patholog. ad illam pertinentis.

## PROFESSORES VICARI.

A. T. DE AQUINO.....	{ Sectionis Scientiarum accessoriarum.
A. F. MARTINS .....	{ Sectionis Medicæ.
J. B. DA ROSA, <i>Impugnator</i> .....	{ Sectionis Chirurgicæ.
DESIDERATUR.....	
D. M. DE A. AMERICANO .....	
L. DA C. FEIJO', <i>Impugnator</i> .....	
L. DE A. P. DA GUNHA.....	Minister à Scholæ secretis.

Medicinæ facultas, sententias in qualibet these exagatas, proprias solummodo suis auctoribus, nec a se ullo modo comprobatas aut improbatas esse decrevit.

**MEDICORUM BRASILIENSIMUM  
CORPORATIONI.**

*D. D. O.*

Dr. Alure.

БОЛТАЮЩИЕ

## Illustrissimi Professores.

*Plenum periculis et forsè temerarium ante istam medicinæ facultatem, principia homœopathiæ vindicandi, consilium nonnullis videbitur. Nec ego similis metus expers prodirem et viribus meis tam superiorem causam susciperem, nisi duplex melioris sententiæ causa, indulgentia et judicum meorum in veritatem omor immensus, adasset.*

*Dies enim ortus est varios et dispersos scientiæ ramos, ad primordiale truncum revocandi; quid veri, quid salutaris apud varias scholas discriminandi. Solâ quippe partium singularum perfectione, integer monumenti ordo resulgere potest. Nec cuiquam aliæ orbis terrarum scholæ, ista gloria meliore jure continget, quam hujus fluminis facultati, tantis jam titulis apud remotas gentes decoræ, tam doctis professoribus ornatae.*

*Novitates equidem jamdudum doctis corporationibus infensas est traditum, et legitima quibusdam in locis et temporibus traditio. At æquè talem opinionem homœopathiæ apud Europæ meridionalis populos grassanti applicari, non licet. Sic illa apud Italos plurimorum principum et regum, doctorum et academicorum favorem retulit. Anté Academiam medicam Neapolitanam, sœpè et extensè enodata, et jussu regio, publicis fuit experientiis probata. Francisco Primo et Augustæ illius conjugi, Imperatricis ad hæc littora nuper advectæ parentibus, salutem suam curandi unica et familiaris methodus fuit, homœopathica. Nec minus apud Iberiæ populos accepta. Otisipponis cultiores incolæ et inter alios vir illustris et litteratus, Silvestris Pinheiro Ferreira, illius diffusioni favent. Missum à doctissimâ medicorum Lusitanorum concione, homœopathiæ inventorî honorificum à me visum fuit cartularium. Lusitanus etiam civis, primus in hâc terrâ homœopathiæ nuncius et strenuus defensor, eminentis ingenii vir, Dr. J. da Gama e Castro, me suadente prodiit.*

Parem igitur apud istos Lusitanæ gentis filios, favorem homœopathia obtinebit. Terra enim novitatum utilium amantissima, recentis et antiquæ medicinæ principia componendi, opportuna sunt tempora. Quis vestrûm illustrissimi professores, immensas artis diagnosticae divitias miratus, simul therapeutices recentis inopiam non deflevit. Mali causas et sedes cognoscere quidem gratissimum est medico, sed rimedia applicanda malo detecto reperire gratum quoque et utilius.

Ego quidem tanti inventi auctorem poucos dies post illius obitum, et anté tam dignos auditores celebrare gloriatus sum; utilissimum scienciarum, humanitati, et isti imperio officium conferre; indignum Hahnemann meo magistro et meis ipsis judicibus, silentium aut diuersum sermonem ratus. Nullam regionem magis medicinæ renovatæ præsidio, quam istam carere, ubi naturæ magnitudo viribus humanis impar undique urget, ubi male, immenso imperii spatio adest æquatus civium numerus, ubi tropicorum speciales permulti morbi grassantur; immensam laudis fontem medicis Brasiliensibus aperire, si illi, floræ indigenæ innumeros thesauros Hannhemam duce medicinæ applicuerint, et Europæ stuuiosæ tradiderint, tantæ operæ perficienda auxilium facultatis istius non frustrâ implorare existimavi.

Tertio nonas septembris A. D. -- MDCCCXLIII.

# PROPOSITIONES ALIQUOT

AD

## HOMOEOPATHIAM CONFIRMANDAM

APTÆ (\*).

---

I. Duo in quâlibet scientiâ contineri debent, praxis scilicet et theoria. Duo itidem in scientiâ medicâ observanda, experientiæ scilicet clinicae et notiones physiologicæ. Sic Anatomiae pathologicae studium, Anatomiae normalis expositio antecedit, et clinicis observationibus, suam lucem præstare physiologia solet.

II. Materia medica pariter, physiologicis observationibus niti debuisset antequám therapeuticæ arma adversús morbos adhibenda præberet. Sola autem inter alios medicinæ ramos, physiologico experimento hactenús summo artis et humanitatis detimento destituta est. Spurias materiæ medicæ fontes, illustrissimi medicorum, jam dudum frustrâ denunciaverunt. Celeberrimus Bichat, præteritis aliis, illam incohærentem absurditatum molem declarat. Haller equidem illi renovandæ aptum principium nactus talibus hoc inculcabat: *Nempé primum in corpore sano medela tentanda est, sine peregrinâ ullâ miscelâ; odoreque et sape ejus exploratis, exigua illius dosis ingerenda et ad omnes, quæ indè contingunt affectiones, qui pulsus, quis calor, quæ respiratio, quænam excretiones attendendum. Indè ad ductum phænomenorum in sano obviorum, transeas ad experimenta in corporæ aegroto.* Sed tale monitum, aut neglectum, aut despretum, nemini anté Hahnemann dignum attentione visum est.

III. Primus Hahnemann illud ingens philosophiæ et scientiæ desideratum juvantibus discipulis explevit, pathogenesicam scientiam condidit, et materiam, medicam puram, sublime apud posteros futurum gloriæ monumentum è fundamentis extruxit. Illius vigilibus curis attentè effectus secundarii medicamentorum, a primariis distincti fuerunt, ne fallax et periculosum humanitati levamen offeratur. Longo in homine sano experimento virtutes cujusque medicamenti detectæ sunt et ritè morbus artificialis ab illo provocatus, in omnibus illius phasibus, et longâ symptomatum comitante catervâ descriptus fuit.

(\*) Medicinæ facultas, opiniones in quâlibet thesi exagitatas, nec improbare nec approbare, se's ipsis constitutionibus jubentibus, sustinet.

IV. Sic tandem, physiologia pretiosâ naturalium virium cognitione aucta, certius auxilium medicinæ præstat, cui nomen physiologicæ meritò imponere fas est. Quis enim Doctorem Broussais, suæ doctrinæ, nomen physiologicæ imponentem, quamvis Hahnemannianos labores nesciret, quibus deficientibus tantum physiologicis scienciis deerat, præmaturè et intempestivè egisse negare posset?

V. Lex Similium, non sicut theoreticum systematis prœconcepti supplementum, sed necessariâ connexione, ex experientiâ purâ defluxit. Breviter enim probatum fuit, medicamenta specifica, ea ipsa in agroto curare, quæ in homine sano, primario effectu suscitaverant. Sic Hydrargirum Invenereæ, Sulphur herpetibus, Ipecacuanha vomitui, Opium lethargiæ obstant; sic virus vaccinum variolarum horrendum flagitium prævenit.

VI. Indè novum et secundissimum principium, physiologicæ additum: Lege quidem contrariorum corpora inorganica regi, viventia autem similium. Adest quippè perpetuus in viventibus corporibus repulsus, quo omnino contrarius, primariæ actioni effectus producitur; nec ullum medicamen agrotanti prodest nisi illud quod naturæ repulsum provocat, morbo debellando primario effectu similis, contrarius secundario.

VII. Minimorum medicamentorum usus, mirabile quoque inventum, non homœopathiæ necessaria conditio, sed utilissimum incrementum et naturalis consequentia. Quandò medicus primarios medicaminum effectus morbo opponebat et naturæ impetui arginem ut ita dicam objiciebat, ingenti quidem ad hunc finem obtainendum parte egebat; medicus autem homœopathicus sedulus naturæ interpres et minister, minimam dosem adhibere debet ut illius naturalem impulsu auxilietur. Aliter periculosa crisem provocaret. Sic antiquæ medicus scholæ, narcoticas præparations quotidiè crescentes, dolorum violentiæ, aut somni defectui opponit, medicus autem Hahnemanianus tenuissimis opii particulis, ventris pigritiam aut lethargicum soporem vincit.

VIII. Formularum simplicitas, medicinæ quoque progressibus et morborum sanationi utilissima. Ignota enim hactenùs virium pathogeneticarum affinitas et dubius est, qui ex pharmacorum mixitione effectus resultare possit. Quomodo igitur rationalis medicus, in complicatâ formulâ, quid juvet, quid noceat, sentiet et in alios casus fructum experientiæ deducet? Studiosus autem medicus in vastissimâ materiæ medicæ ceciâ, appropriatum cuique morbo medicamen facilè inveniet et quilibet adulterâ mixtione abstinebit. Hœc enim Hahnemann tradit: Specificum medicamentum, nullo adjuvante corroboretur, aquâ purissimâ aut aliâ substancialiæ inertii excipiatur, si correctivo eget ad tenuissimam partem minuatur.

IX. Quemadmodum arbitrarias materiæ medicæ divisiones, Hahnemann


solo œquavit, sic et morborum abstractorum classificationes inutiles proclamat. Quoties autem illum debellatum et semper redivivum ontologiæ monstrum apparet ! Diruere equidem facillimum, sed nisi aliquid ruinis substitutum fuerit, errores recentiores antiquorum errorum loco nascentur. Continuae illi systematum fictitiorum creationi Hahnemann tandem finem posuit, materiae enim medicæ simplicitas, invictæ et pathologiæ communicatur. Factorum longa et studiosa observatio, est medico homœopathicō unica eligendi medicamenti methodus, hyppotheses et abstractiones ab illo inutiles meritō declarantur.

X. Per se ipsam medico parūm utilis diagnosis, utilissima autem si homœopathiæ inserviat. Mirabiles equidem et æternū commendabiles, vigiliae medicorum, quorum curis internæ morborum sedes determinari potuerunt. At nisi talem notionem specificus (id est homœopathicus) medicamentorum usus comitetur, quid medico prodest ? Adsint in exemplum herpeticæ cutis lœsiones, quorum ingens numerus, insanabilis evadit, quamvis illorum sedes et materialis aspectus palam oculis observantibus pateant. Nec ideo diagnosis negligi aut contemni debet. Imo materiae medicæ puræ, plurimas occultas divitias, diagnosis ritè applicata deteget et ad morbos curandos certissimum medicamen indicabit.

---

Sic fœdere pacto, filii Æsculapii, hominum salutem conservare et scientiam augere invicem conabuntur. Homœopathia, diagnosticis methodis efficacior evadet, facilius morbi cujusque sedem et medicaminum actionem electivam melius determinabit.

Allopathia autem imperfectionibus, quibus suis ipsis ducibus confitentibus hactenū deturpata est, liberata, legitimam materiam medicam possidebit ; quid salutare in morbis sicut administratum confirmabit, quidquid dubium elucidabit, quidquid nocivum deteget et rejicit ; concussam populorum fidem Æsculapio reducem conciliabit. Utinam tanti boni principium, in hoc loco, et à paucis istis lineis oriatur !



# **HYPOCRATIS APHORISMI.**

---

## I.

Vita brevis, ars longa, occasio prœceps, experientia fallax. . . . .  
— SECT. I. — *Aph. 1.*

## II.

Ad extremos morbos extrema rimedia exquisitè optima. — SECT. I.  
— *Aph. 6.*

## III.

Paulo deterior et potus et cibus , jucundior autem eligendus potius , quām  
meliores quidem sed ingratiores. — SECT. II. — *Aph. 38.*

## IV.

Duobus doloribus simul obortis, non in eodem loco vehementior obscurat  
alterum. — SECT. II. — *Aph. 46.*

## V.

Multū et de repente evacuare aut replere aut calefacere, aut frigefacere ;  
aliter quocumque modo corpus movere, periculorum est. Enimverò omne ni-  
mium naturæ est inimicum. Quod verò paulatim fit, tutum est: tum alias et si  
quis ex altero ad alterum transeat. — SECT. II. — *Aph. 51.*

## VI.

In morbis acutis extremarum partium frigus, malum. — SECT. VII.  
— *Aph. 4.*

*Conformem facultatis constitutionibus, istam thesim a me repertam  
esse declaro.*

DR. TORRES-HOMEM.